Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

propheta. Sperate in domino in seculis eternis in domino deo forti in perpetuum. cuius auxilium sempiternum est. Ipse enim incurvavit habitantes in excelso. quia omnis qui se exaltat humiliabitur. qui patrem abraham se habere iactabant. et in suggillatione domini loquebantur. Nos de fornicatione nati non sumus. Ipse civitatem sublimem humiliavit ut iudei putant romam. ut nos recte esse convincimus ierusalem que occidit prophetas et lapidat eos qui ad se missi erant. et ad extremum patris familias interfecit filium ut herede interfecto periret hereditas. vocatur civitas que hebraice dicitur irsecaria quam aquila polisilenen interpretatus est. et quam nos vel civitatulam vel vicum vel oppidum possumus dicere. Et frequenter in scripturis hoc nomine appellatur ierusalem. Pulchreque duplicem humilitatem posuit. humiliavit humiliavit eam. primum sub babyloniis quando templum destructum est. secundo sub tito et vespasiano. cuius ruina usque ad finem permanet. Conculcavit eam pes. Repetitque et copulat pedis pauperis. haud dubium quin christi de quo et supra diximus. Factus est fortitudo egeno in tribulatione sua. Gressus egenorum apostolorum scilicet qui imitantes domini paupertatem etiam virtutis eius privilegium consecuti sunt. qui non excepti excusserunt super eam pulverem pedum suorum. Et quia salvatoris dicitur verbis. omnis qui se exaltat humiliabitur. et qui se humiliat exaltabitur. non solum hoc ad homines sed et ad contrarias quoque fortitudines referre possumus. Iuxta lxx: laudes deo propheta decantat. quod omnes superbos humiliet. et universarum urbium munimenta usque ad solum diruat. et sanctorum ea mittatque et humilium calcent pedes. Semita iusti recta est. rectus callis iusti ad ambulandum. Et in semita iudiciorum tuorum domine sustinuimus te. nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime. Anima mea desideravit te in nocte. Lxx: Via iustorum recta facta est. via iustorum preparata est. Via enim domini iudicium. speravimus in nomine tuo. et in memoria que desiderat anima nostra. Adhuc propheta de christo loquitur. de quo superius dixerat: Conculcavit eam pes pauperis pedis. Huius enim iusti semita recta est. sive ut verbum novum fingam. rectitudines quas greci vocant eythytetas. et nos equalitates latini possumus appellare. dicuntque hebraice mesraim. In una enim christi semita omnes iustitie repperiuntur. et propterea eam suo pede calcavit et trivit. ut quicumque per eam voluerit ambulare: cursu ambulet inoffenso. In hac ergo semita iudiciorum domini sustinuerunt eum sancti. et speraverunt in eum quia spes non confundit. et nomen illius et memoriale habuerunt in desiderio anime dicentes. Concupivit anima mea desiderare iudicia tua in omni tempore. Et iterum. Desiderat anima mea et defecit in salutari tuo. Qui autem nomen domini habet in desiderio. aliud non desiderat. Et hoc notandum quod desiderium dei non in carne sit sed in anima. iuxta illud quod in psalmo legimus. Sitivit anima mea ad deum fontem vivum. Caro enim concupiscit adversus spiritum. et spiritus adversus carnem. Hec